1530 Interea Suleimanus belli non minus laboribus, quam pacis artibus, & ſtudiis intentus, modo bellum Pannonicum moliri, de Vienna invadenda conſilia habere; modo de claſſe ex Helleſponto emittenda, marique a piratis purgando agere. Atque ut Byzantium imperii ſui ſedem, quantum fieri poſſet, florentiſſimum, & opulentiſſimum redderet, animo volutabat, ut aromata, & alia mercimonia, quæ ex India, atque omnibus orientis oris Alexandriam, & ad alios imperii ſui mercatus convehebantur, cuncta Byzantium importarentur: quocirca omnium gentium negotiatoribus, ut a ſericis, atque aromatibus emendis abſtinerent, imperaverat, ingentemque harum rerum vim, ſexcentis aureis millibus in id impenſis, ſuo ære coemerat. His rebus haud parum Veneti commovebantur, incrementa, quibus in dies validior gens Chriſtiano nomini infenſa evaderet, ſuſpecta multum habentes; aliorum Principum, ac regnorum caſibus ſterni ad reliquos acrius oppugnandos iter intuentes, cum Turcis inſitum eſſet, aſſidua bellorum agitatione imperii ſpiritum fovere, atque alere, quod torpore pacis diſſolutum, ac languidum contabeſceret. Itaque Senatus Joanni Sepuſiano, Hungariæ Regi, ſuadebat, ut, concordiæ ratione aliqua cum Ferdinando Archiduce inita, innumera impendentia mala, ingenteſque calamitates a Reipublicæ Chriſtianæ cervicibus propelleret. Poloniæ Regem, qui antea id negotii ſuſceperat, hortabatur, ut vehementius in publicum commodum, auctorem ſe pacis præbendo, incumberet. Eodem tempore, ut ab emittenda claſſe Regis animum averteret, enixe Senatus laborabat, Grito, qui ſumma apud eam gentem auctoritate pollebat, contendente: Venetos nihil prætermittere, quod ad exturbandos piratas ſpectaret; claſſem omni genere navium inſtructam habere; omnia percurrere maria, ut tuto mercatores ultro, citroque commeare poſſent. Ac ne Turcæ, ut in ſinum Adriaticum irrumperent, Melitenſium excurſiones prætenderent, Veneto præfecto injunctum eſt, ut Senatus nomine trierarchis Melitenſibus ſignificaret, ab Adriatico ſinu abſtinerent, neque iis navigiis damna inferrent, quæ Ionio, & Cretico mari navigarent, quod ea loca in Venetorum tutela eſſent: ni id facerent, Melitenſes triremes exarmari juſſit. His conſiliis diuturnam ſervare pacem Senatus,

Veneti Joannem Sepuſianum ad pacem cum Ferdinando ineundam hortantur.

Senatus mandata de Melitenſibus piraticam exercentibus.

mu-